

introëunt, videntur. quorum concursum & dissipationem principia ait esse naturarum omnium. Qua in sententia est quoque Leucippus. Horum autem, quæ rotunda sunt, ea animum esse dicunt, quòd huiusmodi fluxus facillimè per vniuersitatem possunt peruadere, & mouere cætera omnia, cum ipsa etiam motu cieantur, quòd existimant animum esse id quod motum animantibus afferat. Quocirca vitæ finem ac terminum esse respirationem. cum enim id quod corpora circumfundit, cogit comprimitque figuras, quæ animantibus motum ideo afferunt, quòd nec ipsæ quiescunt vnquam, extrinsecus adiumentum afferri, cum alia eiusdem generis respirando introëant. Prohibere enim ea, ne quæ in animantibus insint, effluant, cum id quod vim habet concretionis, ipsa cohibeant & coërceant, atque ad eum finem viuere animantia, quoad hoc facere possint. Videtur etiam id quod à Pythagoricis traditur, eodem pertinere. Eorum enim nonnulli tradiderunt animum esse ea corpuscula quæ in aëre videantur, quidam id quod hæc moueat. Quæ quidem perpetuo motu cieri diximus, etiam si sit tranquillitas. Eadem est sententia eorum, qui aiunt animum esse id quod seipsum mouet. Videntur enim hi omnes existimare motum animi proprium esse maximè, cæterisque omnibus animum motum afferre, ipsum autem à se moueri, propterea quòd nihil cernerent quod vim mouendi haberet, quin ipsum quoque moueretur. Itémque Anaxagoras animum esse dicit qui moueat, & si quis alius dixit, à mente hanc vniuersitatem moueri. Sed non omnino eadem eius quæ Democriti, sententia est. Hic enim omnino idem animum & mentem dicit esse. Id enim verè esse, quod esse videatur. Itaque præclare ab Homero transferri verbum $\Phi\rho\nu\epsilon\acute{\iota}\nu$ ad sensus, cum ait, Hæctor iacet $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\Phi\rho\nu\epsilon\acute{\iota}\nu$. Non igitur mentem vt vim quandam ad verum adhibet, sed idem animum mentémque esse confirmat. Anaxagoras autem minus de his sententiã suam exponit. Multis enim locis causam boni & recti mentē tradit. Alibi verò mentem idem dicit esse quod animum. In omnibus enim animantibus eam inesse & magnis & paruis, nobilibus & ignobilibus. Sed perspicuum est eam mentem, quæ ex prudentia nominatur, non omnibus æquè animantibus, imò verò ne omnibus quidem hominibus esse concessam.

A. iij.